Zusammengesetzte Handschrift

15. Jh. Seite 95r



# Incipit ad confessores

n [N]emesiano lucio felici litteo polliano victori ideri datiuo coepiscopo item episcopo et ceteris fratribus in metallo constitutis eternam salutem.

Gloria quidem vestra poscebat beatissimi ac dilectissimi fratres ut ad conspectum atque complexum vestrum venire ipse deberem Nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum prefiniti loci terminus coerceret Sed quomodo possum representare me vobis Et ad vos etiam si corpore et gressu non datur dilectione tamen et spiritu venio Exprimens litteris animum meum quo in istis virtutibus et laudibus vestris letus exulto participem me computans vobis et si non passione corporis consortio An ego possim tacere et vocem meam silentio premere cum de carissimis meis tam multa et gloriosa cognoscam quibus vos diuina dignatio honoravit ut ex vobis pars iam martyrii sui confessione precesserit meritorum suorum coronam a domino receptura pars adhuc in carcerum claustris siue in metallis et vinculis demoretur Exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus et armandis maiora documenta ad meritorum titulos ampliores tot mercedes in celestibus premiis quot nunc dies numerat in penis Que quidem vobis fortissimi ac beatissimi fratres pro merito religionis ac fidei vestre accidisse non miror ut vos sic dominus ad gloriationis sublime fastigium glorificationis sue honore proveheret Qui semper in ecclesia eius custodientes fidei tenorem vigilanter conservantes firmiter dominica mandata In simplicitate innocentiam In caritate concordiam modestiam in administratione vigilantiam in adiuvandis laborantibus misericordiam in fovendis pauperibus In defendenda veritate constantiam In disciplinae severitate censuram Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis etiam con-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_159/0193

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG